

Genius, sive Angelus, ut ipse se nominat. Deum in igne habitare est contestatus, Lactantius namque responsum quoddam eius affert, in haec verba.

Αὐτοφυὴς, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀξυφέλικτος

Οὐνομα, μη δέ λόγῳ χωρουμενον, ἐν πυρὶ ναίων.

Ταυτὶ θεὸς. μικρὰ δὲ θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

“Per se natus, non doctus, sine matre, immotus.

Nomen, neque in sermonem cadens, in igne habitans.

Hic Deus est. Parva vero Dei portio Angeli nos.”

Multa quoque in hanc sententiam possent ex sacris *Bibliis* adduci, sed illus sufficiat Danielis: “Aspiciebam donec Throni positi sunt, et antiquus dierum sedit. Vestimentam eius candidum veluti nix, et capilli capitum eius, quasi lana munda. Thronus eius flamma ignis. Rotae eius ignis accensus, Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie eius.”

Huic, illud consonat:

“Lucem habitat inaccessibilem.”

Et illud Divi Petri in *Epistola*.

“Qui de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.” Et Iacobi illud.

“Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a patre luminum.” De quo Ioannes.

“Quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae; sicuti et ipse est in luce.”

Rursus in *Evangelio*.

“In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.”

Iterum quoque:

“Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.” Et addit.

“Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem.”

In *Apocalipsi* quoque multa sunt in hanc sententiam, rerum lucidarum, flammarum ignis, candelabra, aureae Zonae, capilli candidi, et stellae et facies eius sicut Sol lucebat.

Chorus quoque Apostolorum universus in *Symbolo*, de Christo cecinit:

Deum de Deo, lumen de lumine. Divorum ergo hominum veterum, et Deo afflatorum; et Christi etiam ipsius verbi Dei, ac filii testimoniis quando dixit.

“Ergo sum Vita, Veritas, et Lux.” et

“Ego sum Lux mundi”, et eorum qui cum eo, convixerunt, et Sacrosanctae Ecclesiæ dogmatibus, quibus impie, Aristotelica fatuitas de lumine præferatur; et Pater Deus, et Filius, et Spiritus Sanctus ignes, et luces, et lumina sunt. Non qualia oculis conspicimus. Sed qualia, divinitus revelata, mente percipimus. Ad quos, ut ad purissima rerum omnium principia, eorum lumine, nobis prælucente, via ac scala luminum, ac lucium ascendimus. A lumine scilicet hylæi mundi, ad lumen, lucesque æthereas: ab æthereis, ad Empyreum scandentes, ab Empyreo ad φάος, ad *Panaugiam*, ad supermundanum Solem, ad lucem, verbi ac filii, et ad lucem patris infinitam. A lumine quoque incorporeo animi vegetantis, ad lumen animi sentientis. Ab hoc ad lumen animi ratiocinantis. Ab hoc itidem ad lumen primariæ essentiæ. Et ab hoc denique ad lucem, ac lumen, patris luminum, ac primarium lucis fontem, atque abyssum. Apud quem deinceps, aliquandiu philosophando immoremur, in eoque et consistamus, et confidamus.

ἢ γὰρ πυριθαλπὴς ἔννοια θεόθεν φάος ἔξει.

Calens enim igne mens, a Deo lumen habebit.

*FINIS DECIMI LIBRI.*